

Est igitur Apostolatus Orationis Societas ab Archiconfraternitate Sanctissimi Cordis JESU plane distincta, et ideo Societates, Ecclesiae, iique omnes qui sese huic pio operi adscripsere, minime censeantur in posterum adscripti etiam Archiconfraternitati Sanctissimi Cordis JESU, Romae erectae in templo S. Mariæ de Pace, nisi in eamdem Archiconfraternitatem ab ejus Moderatore rite recepti fuerint.

III.—Alter gradus est eorum qui, præter illa quæ primi gradus propria sunt, idest præter orationem, qua sibi conciliant Sanctissimi Cordis intercessionem apud Patrem ut gloria divina promoveatur, alias etiam preces fundunt ad B. Virginem MARIAM, ut potentissimæ Matris opem implorent, et eamdem in hoc pium opus salutis animarum procurandæ adjutricem sibi adsciscant. Hi scilicet singulis diebus semel precantur “ Pater noster ” cum decem “ Ave MARIA ” ad eam intentionem quæ initio sujusque mensis iisdem indicatur, per Romanum Pontificem approbata, quin tamen ideo censeri possint adscripti pio Operi Rosarii viventis, neque legibus *adstringantur*, quibus id regitur, hoc est ut mysterium sorte sibi attributum inter precandum meditentur, et in turmas distribuantur quæ quindecim sociis singulæ constent.

IV.—Tertius gradus iis constituitur qui, opera saltem primi gradus exercentes, impedimenta præterea removere curant, ne preces nostræ pro salute animarum ad Deum fusæ effectu fraudulentur. In eum finem singulis mensibus vel hebdomadis, ad normam Brevis die 10 febr. 1882 dati, Communionem Reparatrixem peragunt, qua sanctissimum JESU Cor peccatis hominum ad iram provocatum placare et precibus nostris propitium reddere contendunt. Quare hi omnes qui tertio huic gradui adscribuntur, et prædictam Communionem secundum regulas pro Pio Opere Communionis Reparatrixis stabilitas peragunt, hujus associationis *membra* constituuntur, ejusdemque indulgentias lucrantur.

V.—Pariter quamvis Pia Sodalitas, ab “ Hora Sancta ” nuncupata, diversa sit a “ Pia Societate Apostolatus Orationis,” tamen omnibus sociis Apostolatus Orationis qui